



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-415870-p0001-6

DFG



8678.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
ADPELLATIONI  
LOCVS DETVR A SENTENTIA  
ARBITRI

1770, 21.  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.


SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVIII. IVLII. ANNO CIOIOCCLXX.

PUBLICE DEFENDET  
IOANNES FRIDERICVS FLOESSEL  
NIVIMONTANVS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPFIIS.





AN  
ADPELLATIONI  
LOCVS DETVR A SENTENTIA  
ARBITRI.

---

---

§. I.

**C**Non quidem animus est, omnem de arbitris in latiori causam orare, quod iam ab aliis factum, id vero nobis sumsimus, ut de illa quaestione dubia tantum quaedam et quidem sat breuiter ad disceptandum proponamus:  
*an a sententia ab arbitro lata, si se grauatum putet, unus compromittentium, appellacioni locus detur, et ad quem illa appellatio dirigenda.* Ante vero quam eam decidamus quaestio-  
nem, paucissima nexus causa de ipsis arbitrī praemittamus.

A. 2

§. II.



## §. II.

Sub arbitris non eos intelligimus, quorum aliquoties in LL. XII. Tabular. mentio fit. e. g. Tab. II. Leg. II. nam si quid horum fuerit vnum, iudici ARBITROVE reoue dies diffensus esto. Tab. V. Leg. III. ad eratum ciendum ARBITROS tris dato. Tab. VIII. Leg. IV. si iurgant adfines finibus regundis Praetor ARBITROS tris addicito. Eod. Tabul. Leg. VII. Si aqua pluvia manu nocet, Praetor arcendae aquae ARBITROS tris addicito. Amplius Tab. IX. Cap. II. si iudex ARBITER-VE iure datus caet. Denique Tab. XII. Cap. II. Si vindiciam falsam tulit Praetor rei sive floris ARBITROS tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito. Hi enim arbitri haud alii sunt, quam qui in iudiciis bonae fidei et arbitrariis dati a magistratu iudicant. Nobis arbiter vir bonus est, quem priuatim vel interposita stipulatione vel pacto elegerunt litigantes, ut eorum causam cognoscat atque sententia litem definiat, cui se litigiosos compromittunt.

## §. III.

Facile enim patet, quae sit inter iudicem interque arbitrum differentia, atque in quo utriusque conueniant. Utique enim consensu partium agnoscitur. Iudex enim a Praetore datus semper inter consentientes partes iudicat ex Romano iure, non enim obtruditur partibus, imo potius, si a praetore detur, reiici potest, vel a iudicando repelli exceptione a suspicione desumita. Utique amplius priuatus erat et iudex et arbiter. Eligebat enim iudices Praetor ex consilio, in quo erant ICti, quorum auxilio vtebatur Praetor in iure dicundo. Priuati ergo iudicabant dati a Praetore. Neque arbitri alii, quam priuati erant, imo, si ipsum Praetorem arbitrum elegissent partes, in quem compromiserant, non ipse tanquam magistratus et persona publica arbitrum agebat, sed ut amicus, quatenus ipse conditione priuata vtebatur. Potuisse vero in magi-

magistratum compromitti, coniicitur ex PAVLO in L. 2.  
ff. de recept. qui arbitrium recep. Nollem enim, cum lex  
iudicem ex compromisso excludat, ut magistratum subin-  
telligas. Intelligenda est ea prohibitio, ne iudex arbiter  
sit ex ratione fori Romani. Cum enim iudicis officium  
haud esset publicum, dabatur enim priuatus a Praetore in-  
ter partes consentientes, qui dein stipulando litem conte-  
stabantur, fieri non poterat, ut partes amplius in eum  
compromitterent, in quem confenserant, ut datus a Prae-  
tore ex praescripta formula iudicaret inter eos. Conue-  
niunt amplius in eo, quod vterque et iudex et arbiter cau-  
sam litigiosam cognoscant et sententia definiant.

## §. IV.

Differunt vero arbitri a iudicibus, quod hi a Praetore  
re dentur, illi vero ex solo partium consensu cognoscant  
et litem definiant. Praeterea iudici formula praescripta  
erat a magistratu, ex qua sententiam ferebat, arbitro vero,  
nemo erat, qui formulam praeferberet, sed secundum le-  
ges tantum litem definiebat. Sententiae vis a iudice latae  
pendet ab autoritate magistratus iurisdictionem exercen-  
tis transisque in rem iudicatam, sententia arbitri ex solo  
compromisso inter partes vim suam nascitur.

## §. V.

Quae cum ita sint, facile patet, quid de proposita quaesi-  
tione statuendum. Scilicet facile contingere potest, ut  
arbiter sententiam ferat inter compromittentes, quae vni  
compromittentium displicet, quique se ea sententia grauau-  
tum arbitratur. Hinc quaeritur, an prouocatione seu adpel-  
latione interposita huius latae ab arbitro sententiae esse etum  
suspendere vel auferre compromittens possit. Adfirmant  
nonnulli moti autoritate GAI in L. 9. ff. qui satisdare cogant.  
qui scriperat: *Arbitro ad fideiisores probandos constituto, si  
in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab*



*eo, atque ab iudicibus APPELLARE LICET.* Et forsitan LEYSERVS Medit. ad Pandect. Spec. LXV. Med. 2. ex eo CAII capite seductus, putauit, decendium efficere, ut, eo elatio, appellare non liceat, cui opinioni addit veri speciem L. 5. C. de recept. arbitr.

## §. VI.

Neque tamen autoritate CAII, nec ipsius IUSTINTIANI in L. 5. alleg. moueri me patiar, ut adfirmatiuae sententiae calculum addam, atque prouocari posse a sententia arbitri statuam. Mouet me maxime autoritas ANTONINI in L. 1. C. de recept. arbitr. Ex sententia arbitri ex compromisso iure perfecto aditi appellari non posse, saepe rescriptum est: quia nec iudicati actio inde praestari potest. Satis haec clara. Compromissum autem iure perfectum, non id videatur, quod VLPIANVS in L. 31. ff. de recept. qui arbitr. compromissum plenum, sed, quod de lite initum, de qua leges compromitti posse hanc prohibent et quod consensu partium recte factum, ut minus valido et obligatorio compromisso videatur oppositum, quippe, si ex tali compromisso arbiter sententiam tulerit, non opus remedio aliquo, cum ob vitium compromissi nulla esset sententia. Confirmat praeterea nostram opinionem PAVLVS in L. 32. §. 14. eod. qui ait: *Cum quidam arbiter ex aliis causis inimicus manifeste apparuerit, testationibus etiam conuentus, ne sententiam diceret, nihilominus nullo cogente dicere perseverasset: libello cuiusdam id querentis Imperator Antoninus subscripsit, posse cum vti dolii mali exceptione et idem cum a iudice consulueretur, apud quem poena petebatur, rescriptis: etiam, si appellari non potest, dolii mali exceptionem in poenae petitione obstaturam.* Per hanc ergo exceptionem quedam appellandi species est, cum liceat retractare de sententia arbitri.

## §. VII.



7

## §. VII.

Praeterea per se constat, appellationem illud dici remedium, quo causam a iudice inferiori decisam ad superiorem devoluimus prouocando. Nam vero in compromisso non adest inferior iudex nec superior, euitandi enim iudicij causa in arbitrum compromisimus. Si itaque ab arbitro adpellandum esset, haud adest, in quem prouocari posset, quippe, si in iudicem prouocetur, hic ex compromisso partes cogeret magis stare sententiae ob autoritatem compromissi. Alia adhuc V A V D V S Var. Quaest. L. i. qu. XIV.

## §. VIII.

At vero quid faciamus C A I O. cit. leg? Neque C A I V S a nobis dissentit; non enim de arbitrio per compromissum electo loquitur, sed de eo, quem Praetor in iudicio arbitrario aut bonaे fidei dederat seu constituerat, qui ipse iudicabat, atque a iudice differebat causa, quam cognoscet, et qui, cum iudex esset, ab eodem non minus ac ab eo, qui iudex in iudicio stricti iuris constitutus adpellari poterat. Neque nostrae opinioni aduersabitur I V S T I N I A N U S in L. 5. C. de recept. arbitri. in verbis: et non intra decem dies proximos attestatio missa fuerit, caet. Facile enim patet, decendum, non hoc loco esse, quod rei iudicatae parit effectum, sed aliud atque a I V T I N I A N O constitutum non in omni compromisso, sed in eo, quod pacto initum, quod teste V L P I A N O EX P O M P O N I O in L. n. §. 3. ff. eod. factum fuit. Vel enim compromissum siebat adhibita stipulatione, cuius effectus erat, ut lata ab arbitro sententia, si compromittens alter sententiae non stare, alter ex stipulatu agere posset. Vel compromissum siebat pa-

cto

Eto nudo, ex quo actio dari non poterat, si alter sententiae non pareret, at bene, si alter contra sententiam arbitri tamen coram iudice agere vellet, ac si compromissum non fuisset, dabatur exceptio, quam solebat paclum produce-re nudum. Iam vero actionem dat IVSTINIANVS, quod indicant verba legis: *non solum reo exceptionem veluti paclii generari, sed etiam actori EX NOSTRO NOMINE in facium actionem.* At vero ut alteruter compromittentium hanc habeat actionem, statuit Imperator, ut vel expresse subscribendo sententiam arbitri agnouerint, vel tacite, si intra decem dies, vtrique tacuerint, neque attestacionibus adhibitis, quod displiceat sententia, eam infirmauerint. Hic ergo nihil de appellatione intra decendum a sententia arbitri.

T A N T V M.



VD18

**ULB Halle**  
007 208 200

3







8678.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN

ADPELLATIONI  
LOCVS DETVR A SENTENTIA  
ARBITRI

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

SOCIO

IN AUDITORIO PETRINO

DIE XVIII. IVLII. ANNO CCCCCLXX.

PVBLICE DEFENDET

IOANNES FRIDERICVS FLOESSEL  
NIVIMONTANVS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPIFIIS.

1770, 21.